

Johannes Bocer

**AD DEVM OPTI=||MVM MAXIMVM, AM=||plißimae et Imperialis Vrbis Lubecae. In
funere || suorum Consulum ... || D. HERMANNI || FALCONIS I.V. Doctoris, et D.||
NICOLAI BARDEVICI, alio=||rumq; Senatorum, quos om=||nes feré spacio unius ||
anni amisit.|| QVERELA.|| Scripta ... || A IOANNE BOCERO, Ducum ||
Magapolensium in Academia Rosto=||chiana publico Professore.||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1560

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744300232>

Druck Freier  Zugang



Rf-4 (21)⁰⁴

87


37

Hermann
17
De

AD DEVM OPTI-
MVM MAXIMUM, AM-
plissimæ & Imperialis Urbis Lubecæ. In funere
suorum Consulum, Amplissimorum & Ma-
gnificorum Dominorum, D. HERMANNI
FALCONIS I. V. Doctoris, & D.
NICOLAI BARDEVICI, alio-
rumq; Senatorum, quos om-
nes ferè spacio unius
anni amisit.
QVERELA.

Scripta ad Magnificum & Amplissimum Senatum
Lubecensem, A IOANNE BOCERO, Ducum
Megapolensium in Academia Rostochiana publico Professore.

ROSTOCHII
Excudebat Stephanus Mylander.
M. D. LX.



MAGNIFICIS ET AMPLIS-

simis Dominis, & prudentia & uirtute Cla-
rissimis uiris, Dominis Consulibus, &
Senatoribus Imperialis & Inclytæ
Vrbis Lubecæ, Dominis
suis colendissimis.

S. P. D.

IOANNES BOCERVS.



Ogitanti mihi de miserijs & fugacitate uitæ humanæ, Magnifici & Amplissimi uiri, querelam S. Iobi uerissimam esse, nec sine causa toties repetitam existimo: Hic omni genere calamitatum oppressus, miserèq; uexatus, in 14. cap. his uerbis ærumnas, & miserias suas deplorat, & in hanc tristissimam querelam erumpit: Homo ex muliere natus tam breuis æuis, tam plenus est miserie: qui ceu flos exortus carpitur, ac uelut umbra fugit, neq; diu durat &c. Et sapientissimus Poëta Homerus, humanæ uitæ conditionem, & repentinum casum considerans, non dubitauit breuem & instabilem hominum uitam, caducis arborum folijs comparare: & sic in 6. Iliad. Glaucum loquentem introducit.

οικπερ φυλλων γενει, τοινδε καὶ ἀνδρων.
φύλλα τὰ μεντ' ἀνεμοσχαμάδις χεει, αλλα δ' εἴ' υλη
τηλιδωσα φει, εαρθ' δ' ἐπιγινεται ωρη,
ως ἀνδρων γενει, η μεν φει, ηδ' αποληγει.
& Pindarus in Pythijs hymno 7. magis euidentiore, & apta similitudine, Homericam comparationem

A 2

nem

nem superans: homines non arborum frondibus aut folijs æquiparauit, sed illos umbræ somnium uocauit. Vbi inquit: *επαμεροι, τιδε τις? τιδε ουτις? σκιας ουας ανθρωποι.* Qua similitudine mortalitatem & fragilitatem humanæ uitæ, ingeniosissime & aptissime expressit Pindarus: In nihilum enim, uelut umbra & eius somnium, humana caro subinde redigitur, ac si nunquam extitisset computrescit ac euanescit. Recte etiam Lucianus in Charonte, uitas hominum bullæ aquarum similes esse ait, quarum aliæ, simul atq; exortæ sunt, repente enauescunt, aliæ paulisper durant: Sed tamen omnes exiguo temporis spacio, & breui quodam interuallo subsidunt, & resoluuntur, & aliæ alijs succedunt. Et tanquam bullæ eiusmodi, ex aqua mota & agitata oriuntur, & mox in aquam resoluuntur: Sic homines ex terra nati, morte serius & citius appropinquante, rursus in terram rediguntur, & uelut à comuni omnium rerum matre, præcipiti & fugaci cursu, sæpe ex medio ætatis flore, & summo dignitatis fastigio repossuntur. Et uita humana nihil est inconstantius, fragilius, & inanius: Quæ dum fallacissimæ spei, longioris huius lucis usuræ, innixa est (ut mille morborum genera taceam) sæpe leuissima de causa, casu & hora insperata, exiguo temporis momento & interuallo, abrumpitur & extinguitur. Ergo nec insulse, uolatus leuis & inconstantis muscæ, uitam hominum Simonides comparabat. Sic enim illum cecinisse constat.

ανθρωπον εωρ μη ποτε φησιν ο, τι γινεται, μηδ' ανδρα ιδων οσσον χρονον εσσειται, οικια γαρ ουδε πανωπιστευου μιας ουτως ε μετασσει.

Et quamuis tantis circumscripta sit angustijs,
laboriosè

laboriosa huius uitæ portio, tamen innumerabilibus ærumnis infestatur, & multis atrocissimis casibus impetitur. Vt recte Plin: dixisse sentiendum sit: Naturam nihil hominibus breuitate uitæ præstitisse melius. Idcirco etiam humanum aliquid, sed nihil damni, detrimentiue eos passos esse, putandum est, qui uitam cum morte commutarunt. Sed mortis celeritas & uiolentia, minus mortalibus esset deploranda, si tantum in homines gregarios, & in uilia & obscura capita sauiet: de quibus Homericum illud rectè dicitur: *ερωσιον αχθον αρωσους*: & non etiam doctrina & uirtute præstantissimos, & scientia ciuili, & ijs artibus quibus imperia & urbes feliciter administrantur, ornatissimos, & diuina uirtute præditos homines, cum publica tristitia, & incommodo totius Reipub: ante iustum ætatis tempus, è medio subduceret, & prosterneret. Sed quæ mortis est auaritia & superbia: singulari atrocitate, & ambitiosa inuidentia, magnis & præclaris uiris uidentur insidiari, & eos nullam aliam ob causam, tanquam dedita opera festinat delere & euertere, quam ut ostendat, & palam faciat, sibi in omne mortaliu genus, plenam grassandi libidinem & potestatem concessam esse. Et cum non leuem iacturam mortis iniquitate, hoc anno sexagesimo Germania fecerit, & ante paucos dies, quantum ad rem literariam attinet, si quid adhuc habuit ornamentis & honoris, ueræq; laudis, id fere omne extincto Philippo Melanthere, cum irrecuperabili detrimento amisit. Et uestra Respub: Amplissimi, & Magnifici uiri, eius iacturæ etiam omnino non fuit expers. Importuna enim & procax mortis Licentia, Rempublicam uestram, aliquot clarissimis & præstantissimis

A;

simis

simis uiris, breui temporis interuallo spoliavit, et
amq; in publicis negocijs & curis subeundis, & ci-
uilibus officijs recte administrandis, non leui præ-
sidio & firmamento denudauit. Et cum antea tri-
stem obitum, aliquot Senatoria dignitate amplissi-
morum uirorum, & immaturam mortem Magnifi-
ci & Amplissimi uiri D. Hermannii Falconis I. V.
Doctoris, & Consulis carissimii expotatissimiq;,
acerbissimo luctu & dolore defleuit, hoc tempore à
recenti luctu, quem ex occasu prudentissimii uigila-
ntissimiq; Consulis D. Nicolai Bardeuici conce-
pit, non dum se recollegit, & in pristinum habitum
& formam recepit. Enimvero quam arduum &
regium plane munus sit, fidis & prudentibus consi-
lijs Reipub. prospicere, & quantum detrimenti in
morte eius uiri fecerit, probè considerat. Amisit
enim Respub. eo die, quo Nicolaus Bardeuicus hac
luce priuatus est, maximum ornamentum, & uirum
incredibili memoria, & acri iudicio, & ubere facun-
dia admirabilem, & in omnibus rebus diligentia &
dexteritate singularem, & ciuilium disciplinarum
scientia, quam longo usu sibi comparauerat, orna-
tissimum & instructissimum. Et profecto nimis
crudeli exemplo, quantum immaturus interitus cla-
rissimorum gubernatorum Imperijs noceat, extin-
cto Nicolao Bardeuico, inexorable fatum, urbi ue-
stræ, & moerenti Reipub. demonstrauit. Vosq;
patres conscriptos, quibus semper amplissimus &
dignissimus, populumq; omnem, cui semper prom-
tissimus & utilissimus extitit, ingentem in luctum
moeroremq; coniecit. Ego uero pro ea pietate &
gratitudine, qua Amplissimo ordini uestro, propter
multa, & non obscura in me collata beneficia, sum
obstris

obstrictus, quo debui, mœsto ac afflicto animo, tanti uiri interitum accepi, & illud acerbum uestræ Reipub. uulnus, quod illi crebra magnorum clarorūq; uirorum mors incutit, uehementer indolui, acerbèq; tuli. Idq; ut omnibus constaret, hanc querelam funebrem, loco Epicedij in obitum defunctorum Consulum, sub nomine amplissimæ urbis uestræ in publicum edidi, uestræq; amplitudini dedicauit. Et hoc uobis eo nomine gratum futurum confido, quod uos sicut tantorum uirorum munerum & summarū dignitatum, dum in uiuis erant, participes fuistis, sic etiam defunctorum laudes celebrari, lateq; diuulgari libenter audietis. Iis enim qui uiuū egregiam laudem & famam sibi acquisiuerunt, nemo optimo iure inuidere potest, si mortui nominis immortalitatem assecuti fuerint. Qua in re ego illis, non quantum decuit, sed quantum fieri potuit, lubens prodesse & gratificari conatus sum. Oro autē & obsecro uestram amplitudinem, magnifici & amplissimi domini, ut qualecunq; hoc meum monumentum & pignus gratitudinis, & reuerentiæ erga uos meæ, æquo & beneuolo animo suscipiatis, meq; amplitudini uestræ commendatum habeatis. **Viuite felices & ualete:** Et uobis filius Dei affectum ueræ pietatis, & religionis augere, & Remipub. uestram cum omnibus bonis, & festâ pace quam diutissime incolumem seruare dignetur.

Rostochij ex nostro Musæo. Calend. Decemb. Anno domini 1560.

AD DE

AD DEVM OPTIMVM MA-
XIMVM, AMPLISSIMÆ & IMPE-
rialis Urbis Lubecæ. In funere suorum Consulum,
Amplissimorum & Magnificorum Domino-
rum, D. HERMANNI FALCONIS I. V. Docto-
ris, & D. NICOLAI BARDEVICI, alio-
rūq; Senatorum, quos omnes
ferè spacio unius an-
ni amisit.

QVERELA.

HAs ego Consulibus caris priuata querelas,
Has lacrimas tibi fundo Deus, Miserere laben-
Urbis, & ó rerum ruituræ consule summæ: (tis
Et fausto tristes serua moderamine ciues,
Qui modo sollicitis tundentes pectora palmis,
Ingeminant tristes lacrimas, parcasq; rapaces
Incusant, dirumq; nefas, & uulnus acerbum,
Obijciunt sæuis turbata mente Deabus.
Quorum dum lacrimas, imis excita latebris,
Et tristes gemitus, & luctifonos singultus
Audio, quid misere mentis super esse putãdum est?
Quæ mihi tum facies? quis toto corpore pallor
Surgit? & insomnes circum præcordia curæ,
Non secus ac moe stæ natorum funere matri
Stipantur, gemituq; graui, fufisq; querelis,
Lucis, & umbriferæ mihi turbant tempora noctis,
Et peni-

Et penitus queruli labefactant robora cordis,
Et sensus lacrumis undantibus intercludunt.
Stat prope Vachnesis, uirides laniata capillos,
Thrauenusq; senex, & publica damna gementes,
Exaugent mœstas lacrimis maioribus undas.
Et mecum patrij nimium properantia Diui
Fata, grauesq; dolent casus, sortisq; future
Multa timent peiora, suæ decus urbis, & amplum
Imperij culmen lapsurum, quando repente
Eheu tam subitis mors importuna periclis
Me circumsiſtit, nec ab una parte fatigat.
Et fateor, mea me nunc omnia fata timere,
Peneq; fortunæ casus diffidere cogit.
Et dubito num tempus adest, quo maxima moles,
Lætaq; fors rerum, motu reflexa sinistro,
Diminutura mei properet felicia cursus
Tempora, sed iustis mœrens quid talia curis
Ominor, æterni clementia sola parentis,
(Cui maiestatem, rerum columemq; mearum
Commendo supplex, cui me submitto, rogoq;
Meregat, & tristi rerum discrimine seruet.)
Hic casus inter uarios, tristesq; furores
Instabilis sortis, me conseruabit, & omne
Insurgens miseræ, minuet, frangetq; periculum.

B

Nam

Nam tu summe Deus, florentum maximus autor
Vrbium, & illæsi fortissima dextera regni,
Tu scis quas inter clades, & quanta pericla,
Principio nullo nobis cum limite muri,
Claudebant ualidas ærato robore postes,
Excreui, quantosq; mari, terraq; labores
Exhausi, nostri uaria quam morte coloni
Certarunt, caris dum tecta nepotibus olim
His posuere locis: Quoties me flamma cremauit,
Ludibrio quoties fragilis fallacia sortis
Exposuit miseram, tamen his defuncta periclis,
Numine sola tuo, te defensore, beatam
Et me felicem, uicinis accola ripis,
Externiq; ferunt, summasq; uiator in auras
Eductas turres, & summa palatia cernens,
Miratur cultasq; domus, tractusq; uiarum,
Et miratur opes, tua quas clementia nobis,
Transfert é uarijs ad Thrauica littora terris.
Hanc sortis seriem, fortunatumq; tenorem,
Incrementa meæ poteris maioraq; gentis
Conseruare Deus: Sed si tamen ó mihi si quid
(Namq; nec inficias imus, culpamq; fatemur)
Restat, & irati nobis iam crimen olympi
Imminet, & tandem pœna est grauiore luendum:
Id tua

*Id tua summe Deus leni miseratio uultu
Leniat, & penitus non patris amabile nomen
Exuat, & molli nos tros examine mores
Corrigat, & media, qui sis, succurrat, in ira.
Ah mihi sollicitam quam turbant omnia mentem,
Cumq; futurorum tot argumenta malorum
Intueor, prorsus labefactis uiribus amens
Procido, correptum praesagia moestaq; peclus
Huc, illuc quatiunt, nec in una parte morantur.
Nam qui non casus, qui me non undiq; damna
Circumstant, series & quid fera temporis huius
Portendant, meditor, quorsum tendantq; tumentes
Mularum rerum causae, dubijq; uolantis
Famae rumores, & quid feret inuida tandem,
Et paci semper contraria tristis Enio.
Multa sciens timeo, quae me latuere, timorem
Incutiunt duplicem: Nunc o nunc Consule dextro
Est opus: Ipsa meis at nunc Rectoribus orba
Fluctuo, ceu medijs nauis proiecta procellis:
Et quorum monitis, curisq; fidelibus ante,
Consilijq; bonis, me saluo iure tuebar,
Nunc horum cineres, supremaq; funera tracto,
Proq; toga, pacis signo, cellaq; curuli,
Proq; graui uultu, pro maiestate uerenda,*

B 2

Qua

Qua nuper rebus pariter ualuere gerendis,
Illis nunc tumulos, & tristes ponimus urnas,
Est moesti curis, & fletibus indulgemus.
Teq; decus Falco nobis mors inuida primum
Abstulit, & tantas augusti pectoris artes,
Scitaq; tot legum properanti funere clausit.
Illius integritas, & uirtus nescia frangi,
Hei mihi, supremis citius cur occubat umbris?
Ille mihi quoties infectus casibus actæ
Adfuit, & nostros, potuit qua parte, labores
Sustinuit, pontiq; uias, terræq; remotas
Ingressus, nostras constanti pectore leges,
Adseruitq; meos metuendus Consul honores.
Dumq; tuos legat lanosa Brytannia fines
Sæpe illum febris, sæpe illum uentus & unda,
Ambiguum lucis, propriæ ignarumq; salutis,
Iactarunt ponto in magno, ægrotumq; molestos
Et tristes inter gemitus, oculosq; dolentes,
Vix tandem optato potuerunt sistere portu.
Quid querar? aut quid agam? pleno sors improba
In nos exundans ex illo tempore sæuit. (fluxu,
Utq; nihil fatis, plenisq; doloribus absit,
Qui tum Falconi comes indefessus adhæsit,
Occiduas nobis missus legatus in oras,

Hic

Hic quoq; Godscalcus gelidis Wigdechi⁹ umbris
Occubat, hei patriæ spes maxima, magnaq; iusti,
Nec cessaturi uerissima causa doloris.
Illius ut plenis industria floruit annis,
Cum fuit in causa consultor idoneus omni,
Occidit: haud aliter plenis cum messis aristis,
Turbine uel nimbi, uel grandine fracta recumbit,
Et priuat miserum sperata sorte colonum,
Et cecidere alij, quorum me summa leuauit
Sæpe fides, uarijs prudentia notaq; causis:
Qui mihi subiectas recte defendere terras,
Prospicere & nostris potuerunt undiq; rebus.
Me miseram, quoties iusto turbata dolore,
Hos ego moesta uires luxi, coepiq; carere
Parte mei: Quis enim nostros defendet honores?
Quis mea consilijs diuersa negotia sanis.
Diriget? assiduis si mors uiolentia rapinis
Sæuiet in nostros (ó fors malefida) patronos,
Eripietq; uiros nobis maturior olim
Quos uirtus, priscis & gloria maxima seclis
Æquasset, uel Scipiadis, magnisue Camillis.
Cumq; prius tali quorundam funera luctu
Defleui, quali caros solet unica natos
Mater, inexplcto dum circa bustæ dolore

Errat inops animi, lucemq; exosa, dolore
Non saturanda gemit, miseroq; absunitur æstu:
Illicet ex lacrumis, iusta & ratione dolendi,
In clades alias, renouataq; damna uocamur.
Nunc igitur gemitu penitus dissoluor, & omnes
Tristitiæ cumulos languenti pectore claudo.
Namq; subit nouus ecce dolor, flentemq; priorem
Iacturam, peior casus me tangit, & in me
Quotquot habet seuas acuit uis impia uires.
Nec sat erat tantas urbis cecidisse columnas,
Præsidiumq; mihi Parcas rapuisse nocentes:
Heu plus fata parant, & nunc iacet ille supremo
Funere Nicolaus, nostræ pars maxima laudis
Et spectata salus: sortis nunc dira rependo
Damna meæ: Superis me nunc abiecta recordor
Inuisam, nam crebra meos sic fata labores
Ingeminant, ueluti fundo quæ fixa resedit,
Incidit in scopulos maiori clade carina.
Eheu dum meditor, quo iam sim culmine lapsa,
Atq; meas reputo clades, numerumq; malorum.
Frigidus in toto mihi languet corpore sanguis,
Et toto exanimes labuntur pectore sensus.
Namq; iacet flos ille mei succisus honoris,
Conditur & gelida iam Bardeuicus in urna,
Quo

Quo mea libertas, & salui copia iuris
Hactenus inuiolata stetit, quo Consule felix
Noster creuit honos, & amatae gloria uitae.
Nam quid ego tantas augusto pectore dotes,
(Ab desiderio quarum nunc tangor amaro)
Enumerem? tenui magnas quid carmine laudes,
Et benefacta uiri referam? uix dicere possum
Qualis erat, quantum commissae profuit urbi.
Illius in magnis solertia condita rebus
Ingeniumq; memor lapsi, fatiq; futuri,
Dum partes aciem cautè distendit in omnes,
In tota ne quid collapsum corruat urbe,
Pecceturue foris, species rebusue gerendis
Falsa repentinis oneret bona publica damnis,
Cauit, & instantes nobis depellere casus
Consilij nouit sanis, & mente sagaci.
Illius & pietas, nitidis & iunctior astris
Mensq; Deo fidens, quanta me laude bearit,
Scit praesens aetas, & non uentura silebit.
Atq; utinam nobis, quos illo Consule cultus
Saluificae fidei, quos religionis honores
Adserui constans, seclis labentibus uti
His possem, nebulis non obscuranda uetustis,
Et nullis turbis, nulloq; premenda furore,

Continuare

Continuare meæ felicia gaudia sortis,
Et per templa, domus, plateas, tractusq; uiarum,
Carminc, uoce, sono Christum resonare potentem:
Tunc equidem deserta minus, uel fracta uideri
Possẽm: Nunc uero patronos impia tales,
Cum mihi mors medijs rapidissima præripit ulnis,
Partibus his etiam uereor, ne forsã ouile
Rumpat, & inficiat ueniens lupus, & mea langu-
Deficiat seris uirtus infracta sub annis. (ens,
Ille Deo Consul uero coniunctus amore,
Hoc etiam cauit, reliquisq; laboribus illud
Addidit, & sacri sanctissima dogmata uerbi,
Præconesq; Dei magno ueneratus honore,
Præstitit his miseræ solatia debita uitæ.
His curis mollis florentia tempora pacis
Iunxit, & innocuos pacem seruare per annos
Cura fuit, lustris & iam sex quinq; peractis
Horrifici belli magnis defuncta periclis,
Urbs ego militiam depresso Marte togatam,
Et foui mollem pacato numine pacem.
Tempore sed bellis isto quassata cruentis,
Et mea me uaria cum uexauere labore,
Fata, mihi Danus cum pugnax institit hostis
Excussitq; meas rapidissima flamma carinas,
Cumq;

Cumq̄; dedi, damnumq̄; tuli, nimiumq̄; molestis
Litibus inuoluebar, & omine pressa sinistro
Tollebam lachrumans mœstos ad sidera uultus:
Tum uirtus spectata mihi quid consulis huius
Profuit, agnoui, memori & sub mente reuoluo.
Si mihi tunc tales non opportuna tulisset
Sors rerum dominos, seruitum forsitan irem,
Inq̄; peregrinis mea magna potentia regnis
Fracta, uel omnino non suspicienda fuisset.
At Deus, & melior me sors, sanctusq̄; Senatus,
Consilij sanis conseruauere, nec unquam
A mea legitimo secessit gloria fine.
Nec mea de licito seuecta modestia calle,
Ius colui, & pacem, nisi bella, nisi aspera bella,
Extorsere mihi mollis iucunda quietis
Tempora, nimirum magno sic consule docta
Bardeuice tuis monitisq̄; instructa quieui.
Tu mihi quod fessæ natus solet esse parenti
Nuper eras, mea cum diuerso gloria motu
Non paucis suspecta fuit, mixtoq̄; tenore,
Cum mihi tristitiam, risus & multa parabant
Argumenta, uagis & cum rumoribus acta
Mœsta laboriferos præsentis temporis annos,
Subiectæq̄; mihi pensarem commoda plebis.

C

Tum

Tum mihi consilijs de mille fidelibus unus
Adfueras, omni pressamq; ex parte leuabas.
Nam tua secretos penetrans sapientia casus,
Plurima detexit, multis ignota, measq;
Omnibus in causis uigil experientia partes
Iuuit, & in melius læsura negotia uertit.
Tu mea nubiferos duxisti uela per Austros,
Remigiumq; meæ subdens non debile cymbæ,
Quâ sit iter Scyllas inter, sæuasq; Charybdes
Monstrasti dubijs gnarus Nauclerus in undis.
Ab tibi quam raræ fuit indita gratia dotis,
Cæ mentis uis ampla tuæ, rebusq; gerendis
Dexteritas, fausto nascenti sydere coelum
Quam fuit, multis & te mortalibus unum
Pretulit, & miris tua solertissima donis
Pectora formauit, soli secretaq; Diuinum
Munera concessit, multis, rudibusq; negata
Sensibus: His formæ species fuit addita, qualis
Heroas decet apta uiros, nec dicere promptum
Vinceret arbitrio speciosæ gratia formæ,
Maior an in pulchro regnaret corpore uirtus.
Et prudens grauitas mediocri tincta lepore,
Et mores habiles, & amicæ gratia frontis,
Omne decus formæ, simul & peperere fauorem.
Atq;

Atq̄; ita maieſtas, & rebus in omnibus apta
Temperies, habitusq̄; decens, & maxima uirtus
Corpore pugnabant pulchro, uultusq̄; ſtupentum
Sæpe morabantur: Peregrinis aduena terris
Hunc admiratus, ſacratos frontis honores,
Augustumq̄; decus tacito ſub corde uolutans,
Hic ait hic ſcep̄tris, & tanto munere dignus,
Vrbs generoſa tuos his laudibus implet honores.
Et fateor nobis ex omnibus ille columnis,
Tota ſalus noſtræ quibus eſt innixa ſalutis,
Publica ſiue domi, foris aut commiſſa ſubiret
Munera, longinquas iret uel Rhetor in oras,
Non humili ſpecie, ſed maieſtate decenti
Conſpicuus, magnos hic acquiſiuit honores,
Et me magnifico uexit ſuper æthera cultu:
Meſuramq̄; meæ conſtanti pectore ſamæ,
Æquauit cunctis uitæ per tempora factis.
Principibusq̄; uiris carus, populisq̄; remotis
Ille Duces magnos nobis, Regesq̄; potentes
Concilians factis, & dulcis munere linguæ,
Omnia quæ poſſent noſtram ſeruare ſalutem,
Non ullis factis, ſtudio uel feſſus, omiſit.
Illius ubertas, & largæ copia linguæ,
Sicut inexhauſti decurrunt flumina fontis,

C 2

Et ſata

Et sata cum fessis reparant languentia pratis:
Sic currens pleno per uerba decentia cursu,
Humanas dulci mentes sermone refecit.
Dij qualis uirtus, facilis quæ forma loquendi,
Quod memor ingenium poterat percepta referre
Ordine uerba suo, nec quamuis longior esset,
Eius aberrauit cœptis oratio rebus.
Nunc ó nunc tantis hoc tristi tempore donis
Vrbs orbata queror: Tristes iterare querelas,
Quis uetet & tantæ fatum plorare ruinae?
Dania funesti toties mihi causa doloris
Sic ne mihi patrem patriæ? sic nostra remittis
Gaudia? te nuper pro libertate tuenda,
Accessit Consul, nullos & corpore morbos
Sensit, at illaeso uiguerunt membra uigore,
Caniciesq; senis quæquuis annosa, molestis
Illa tamen morbis caruit, sed flebile fatum
Quam cito morborum causam, mortemq; ferocem
Attulit, externis moriens & concidit oris
Dulce deens nostrum, pugnax & Damá flentes
Consulis inuoluit Comites, moeroreq; pallens
Balthica cæruleis hunc Thetys fleuit in undis.
Atq; exangue uebens ad patria moenia corpus
Vachnesin lachrumis natam, natumq; Thrauenum
Turbat,

Turbat, & his Domini properanti funera morte
 Indicat, & luctu miseros tristatur acerbo.
 At mihi quid sensus, (referens horresco, tremoq̃s)
 Quid mihi mentis erat, cum te, pater optime, cum te
 Ferali cultu uidi specieq̃ reuersum,
 Illud & in gelida corpus requiescere tumba,
 Quod nuper membris, & maiestate decorum,
 Moenia ter miseræ nunquam spectanda Lubeæ
 Danorum fines, lustrans & regna, reliquit.
 Tunc ego pallidior buxo, cannaq̃ palustri
 Frigidior, totas amisi corpore uires
 Exanimisq̃ diu iacui, uiresq̃ loquendi,
 Expulit & totam mihi nubes horrida mentem.
 Nec secus indolui, quam cum te Scipio quondam,
 Defunctum Cumis ad patria tecla relatum,
 Effusis lachrumis fortes luxere Quirites:
 Nec minus incussit nobis mors ista timoris,
 Maxima terrifico quam sensit Roma tremore,
 Consul ut ad tristes crudeli funere Cannas,
 Occidit Æmylius, curis uicinus & armis
 Annibal Æneadum trepidatē terruit urbem.
 Vtilitas horum patriæ si profuit urbi,
 Non certe minus ille mihi: Manifesta recordor
 Signa, grauemq̃ fidem, tot perpeffosq̃ labores.

Non fuit utilior nobis hoc tempore Rector:
Et quamuis alios nobis mors tristis ademit,
Ex nullo similes concepi uulnere luctus.
Namq; nimis tristi iam debilitata ruina,
Nil modo iucundum, nil lætum duco, meumq;
Cor dolet, & moesti mihi tristis forma Senatus,
Et color imperij uultu obuersatur, & omnes
Curarum cumulos turbata sentio mente.
Et si Romulidum uarijs afflictæ procellis
Urbs fuit, Æmylius uitæ dum lucis & huius
Perdedit usuram: Magnæ si tristibus urbes
Cladibus, utilium post ultima fata uirorum
Iactantur, faciuntq; suæ dispendia sortis:
Quicquid erit tristi quod me peruertere clade,
Aut mihi quod meritos infringere posset honores,
Id tua summe Deus facili clementia fine
Dirigat, & nostræ tibi commendata salutis
Sit ratio, solus tu conseruare potenter
Me potes, & soli tibi me commendo, meosq;
Ciues propitijs Deus ó defende sub alis.
Cumq; magistratus, rutuli certissima coeli
Munera, mors crebris nostros uiolenta rapinis
Hauriat, & iusto plus sæuiat ordine, puppis
Fluctibus orba suo ne monstratore fatiscat,

Ipsa

*Ipsa tibi supplex sanctum commendo Senatum,
Tu me consilij dubiam pater optime sanis
Dirige: Crudeles te defensore labores,
Euadamq; meæ nocitura pericula sorti.
Et mea diuersis infracta potentia terris,
Et partum mihi ius, & libertatis honores,
Robur et antiquum, mercantum et splendor, et æqua
Floreat, audaci ui non rumpenda, potestas,
Et nihil explosis sceleratus legibus ardor
Audeat, & prisca lædat mihi fœdera iuris.
Et modo tot fluctus, & inhospita saxa pauenti,
Rectores nostræ tu fidos adde carinæ.
Consilijq; iuuæ dextris, clemensq; tuetor,
Quos rerum dominos cupidis fors candida uotis,
Fecit, & egregiè nostris præfecit habenis.
Hos rege consilij, & dextro robore firma
Et supple uacuas diuino munere partes:
Te Duce, defuncti mox Consul alter honores
Suscipiat, cuius dicar moderamine felix,
Et me nulla meæ tantum compendia sortis,
Quæsiuisse tuæ quantum sanctissima legis,
Dogmata, perpetuum nobis celebranda per æuum.*

FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

*Ipsa tibi supplex sanctu
Tu me consilijs dubiam
Dirige: Crudeles te d
Euadamq; meæ nocitur
Et mea diuersis infract
Et partum mihi ius, &
Robur et antiquum, me
Floreat, audaci ui non
Et nihil explosis sceler
Audeat, & prisca la
Et modo tot fluctus, &
Rectores nostræ tu fidi
Consilijsq; iuua dextr
Quos rerum dominos cu
Fecit, & egregie nostr
Hos rege consilijs, &
Et supple uacuas diuin
Te Duce, defuncti mox
Suscipiat, cuius dicar
Et me nulla meæ tantu
Quæsiuisse tuæ quanti
Dogmata, perpetuum n*

F I

*Senatum,
e sanis
res,
rti.
rris,
nores,
endor, et æqua
poteslas,
ardor
dera iuris.
xa pauenti,
iæ.
uector,
ndida uotis,
abenis.
re firma
tes:
lter honores
felix,
sortis,
a legis,
nda per æuum.*

